

073

071

077

067

082

062

122

022

172

572

Ende

Anfang

magnifica opulentia. Per praedictum autem arcuatum murum transivimus, et sub arcu bibimus aquam, quae deorsum decidebat exiens per rimam canalis. In progressu vidimus in campo stare unam antiquam ecclesiam, magnam, quae minabatur ruinam, et jam tecti major pars ceciderat. Haec ecclesia paucis elapsis annis fuit Christianorum latinorum, quorum copiosa multitudo juxta eam habitabat et quotidiana officia divina in ea peragebat, sed nescio ob quam causam a loco repulsi sunt, nec amplius permittuntur Christiani etiam ad locum accedere. De praedicto arcuato muro est campus latissimus, protensus usque ad castrum domini Soldani, et usque ad montana deserti, in quo campo Mamaluci se exercitant diversis modis, equestres et pedestres in rebus bellicis, sicut patebit in loco, ubi de Mamalucis dicendum venit. In hoc campo vidimus turres stare, pro columbis aedificatas, in quibus columbae nuntii regis nutrituntur, ut superius dixi. Vidimus etiam ibi multa equorum grandia stabula, ita, quod in uno stare possunt quingenti equi. Deinde contra castrum domini Soldani processimus, quod in monte singulari est situm, et est non grande interyallum inter montem castri et montana longa deserti, ac si mons castri esset abscissus a montanis deserti arte aut aliqua herculea virtute, aut potentia atlantica vel titanica; sed nec arte magica, nec virtute herculea, nec fortitudine titanica, sed fide evangelica et virtute Christi, non per potentem gigantem, sed per humilem et catholicum fabrum factum fuit hoc prodigium, Quodam enim tempore fuit in Cairo exorta gravis seditio inter Christianos, quorum magna ibi degebat multitudo, et inter Sarracenos, qui et fortitudine et multitudine Christianos excedebarunt. Hae duae partes quotidie corrixabant de fide et credendis. Soldanus autem pacem habere cupiens indixit disputationem partibus in campo illo, post quam pars victa deberet tenere silentium nec amplius litigare de rationibus fidei. Cumque simul disceptarent, et Christiani Sarracenos manifeste convincerent, surrexit unus Joadas, magnus Sarracenorum episcopus, dicens ad regem: ecce domine rex, isti Christiani astutis et versutis verbis videntur nos superare, fac eos fidem suam factis probare, sicut et ex lege eorum tenentur ostendere fidem factis. Quodsi nequierint, mortuam esse eorum fidem lex eorum indicat, Jacobi II. Cumque rex interrogaret, quibus factis Christiani suam fidem deberent probare, re-

